

CONSILIUM AD EXSEQUENDAM CONSTITUTIONEM
DE SACRA LITURGIA

NOTITIAE

12

DECEMBRI 1965

CITTÀ DEL VATICANO - PALAZZO SANTA MARTA

NOTITIAE

Commentarii ad nuntia
de re liturgica edenda cura

*Consilii
ad exsequendam Constitutionem
de sacra Liturgia*

« Notitiae » prodibunt die 15 cuiusque mensis. Libenter, iudicio Directionis, nuntium dabitur Actorum, inceptuum, editionum in re liturgica, praesertim e Coetibus Episcoporum vel Commissionibus liturgicis nationalibus emanantium, si scriptorum vel periodicorum exemplar missum fuerit.

Directio: Commentarii sedem habent in Civitate Vaticana, Palazzo S. Marta, ad quam transmittenda sunt epistolae, chartulae, manuscripta, his verbis inscripta:

NOTITIAE, Città del Vaticano

*Administratio autem residet apud
Libreria Editrice Vaticana
Città del Vaticano*

Pro commentariis
sunt in annum solvendae:
in Italia lit. 2.000
extra Italiam lit. 3.000 (\$ 5)

Singuli fasciculi veneunt:
in Italia lit. 200 (\$ 0,35)
extra Italiam lit. 300 (\$ 0,50)
In Italia pecunia mittenda est per
c/c/p N. 1-16722

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

12

SUMMARIUM

Acta Pauli Pp. VI

Litterae Encyclicae de doctrina et cultu SS. mae Eucharistiae 369

Allocutio ad participantes
« Conventum de popularibus interpretationibus textuum liturgicorum » 377

Novi Sodales « Consilii » 381

Acta Consilii

Summarium Decretorum quibus deliberationes Coetuum Episcoporum confirmantur 382

Decreta quibus confirmantur interpretationes populares praefationum in Missa 391


Summarium Decretorum quibus confirmantur interpretationes populares Propriorum religiosorum 391

Decreta quibus facultas datur omittendi Horam Primam 392

Conventus de popularibus interpretationibus textuum liturgicorum 393

Index voluminis I (1965)

I.	Acta Pauli Pp. VI	399
II.	Acta « Consilii »	399
III.	Sacra Rituum Congregatio	400
IV.	Sacra Paenitentiarum Apostolica	400
V.	Coetus Episcoporum	401
VI.	Familiae Religiosae	413
VII.	Documentorum explanatio	415
VIII.	Studia	416
IX.	Nuntia	416
X.	Bibliographica	416
	Errata Corrige	416



Die 10 nov. 1965. Beatissimus Pater Paulus VI excipit in particulari Audientia participantes Conventum de popularibus interpretationibus textuum liturgicorum



Die 10 nov. 1965. Patres « Consilii », Praesides Commissionum liturgicarum nationalium et « Conventum » participantes
in Aula Clementina coadunati pro Audientia Summi Pontificis



Romae, «Palazzo della Cancelleria», Sessio Conventus de popularibus interpretationibus textuum liturgicorum



Aula Concilii. Celebratur Missa cum diacono, Cantus ad Introitum

LITTERAE ENCYCLICAE

DE DOCTRINA ET CULTU SS.MAE EUCHARISTIAE

Die 3 septembris 1965, Beatissimus Pater Paulus VI toto gregi Catholico Litteras Encyclicas misit circa doctrinam et cultum eucharisticum, ubi multa inveniuntur quae ad liturgiam et ad Constitutionem liturgicam sese referunt. Haec ex integro reddimus, cetera vero summatim exponimus ut totius documenti structura et generalis doctrina quodammodo appareant.

Venerabiles Fratres,

Mysterium Fidei, ineffabile nempe Eucharistiae donum, quod a Sponso suo Christo tamquam immensae caritatis pignus accepit, Catholica Ecclesia veluti thesaurum, quo nihil pretiosius, sancte iugiter custodivit eique novam sollemnissimamque fidei et cultus exhibuit in Concilio Vaticano II professionem.

Patres enim Concilii, de instauranda Sacra Liturgia agentes, nihil pro sua de universa Ecclesia pastoralis sollicitudine antiquius habuerunt quam fideles hortari ut integra fide et pietate summa hoc Sacrosanctum Mysterium celebrandum actuose participarent illudque ut sacrificium Deo pro sua et totius mundi salute una cum sacerdote offerrent eoque tamquam spirituali alimonia se nutrent.

Nam si Sacra Liturgia principem locum obtinet in vita Ecclesiae, eiusdem Sacrae Liturgiae quasi cor et centrum est Mysterium Eucharisticum, quippe quod sit fons vitae, quo mundati et roborati non nobis, sed Deo vivimus et arctissima inter nos caritate coniungimur.

Ut autem indissolubile pateret vinculum quo fides ac pietas inter se conectuntur, Patres Concilii, doctrinam confirmantes quam Ecclesia semper tenuit et docuit atque Concilium Tridentinum sollemniter definivit, tractationi de sacrosancto Eucharistiae Mysterio hanc veritatum summam praeponendam esse putaverunt: « Salvator noster in Cena novissima, qua nocte tradebatur, Sacrificium Eucharisticum corporis et sanguinis sui instituit, quo sacrificium Crucis in saecula, donec veniret, perpetuaret, atque adeo Ecclesiae dilectae Sponsae memoriale concre-

deret mortis et resurrectionis suae: sacramentum pietatis, signum unitatis, vinculum caritatis, convivium paschale, in quo Christus sumitur, mens impletur gratia et futurae gloriae nobis pignus datur » (Constit. *De Sacra Liturgia*, c. 2, n. 47; A.A.S. LVI, 1964, p. 113).

Quibus verbis et Sacrificium extollitur, quod ad essentiam pertinet Missae quae quotidie celebratur, et Sacramentum, cuius qui participes per sacram Communionem efficiuntur, carnem Christi manducant et sanguinem Christi bibunt, gratiam, quae est inchoatio vitae aeternae, accipientes et « pharmacum immortalitatis » iuxta verbum Domini: *Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam: et ego resuscitabo eum in novissimo die* (Io. 6, 55).

Ex instaurata igitur Sacra Liturgia Eucharisticae pietatis uberes fructus manaturos esse enixe speramus, ut Ecclesia sancta hoc salutifero signo pietatis elato in dies progrediatur donec consummetur in unum (cfr. Io. 17, 23), et omnes qui christiano nomine censentur, ad fidei caritatisque unitatem invitet et divina operante gratia suaviter trahat.

Quos fructus Nobis perspicere eorumque quasi primitias percipere videmur in effuso gaudio et prompto animo quo Catholicae Ecclesiae filii Constitutionem de Sacra Liturgia eiusque instauracionem exceperunt, nec non in multis multumque elaboratis operibus quae vulgantur ut doctrina de sanctissima Eucharistia, praesertim quod ad eius necessitudinem cum mysterio Ecclesiae attinet, altius pervestigetur et fructuosius intellegatur.

Haec quidem non mediocris consolationis laetitiaeque Nobis sunt causa. Quam vobiscum communicare, Venerabiles Fratres, iucundissimum est, ut et vos Nobiscum Deo, bonorum omnium largitori, qui Spiritu suo Ecclesiam regit et virtutum incrementis fecundat, gratias agatis.

SOLLICITUDO PASTORALIS ET ANXIETATIS CAUSAE

Non desunt tamen, Fratres Venerabiles, et in ipsa hac re de qua agimus, gravis sollicitudinis pastoralis et anxietatis causae, de quibus itidem, Apostolici muneris impellente conscientia, tacere non possumus.

Compertum namque habemus inter eos, qui de hoc Sacrosancto Mysterio loquendo scribendoque disserunt, esse nonnullos qui circa Missas quae privatim celebrentur, circa dogma transubstantiationis et cultum Eucharisticum tales vulgent opiniones, quae fidelium animos

perturbent inque eorum mentes non modicam de rebus fidei ingerant confusionem, quasi cuique doctrinam semel ab Ecclesia definitam in oblivionem adducere liceat aut eam ita interpretari ut genuina verborum significatio seu probata conceptuum vis extenuetur.

Non enim fas est, ut exemplo rem confirmemus, Missam quam « communitariam » dicunt, ita extollere, ut Missis quae privatim celebrentur derogetur; aut rationi signi sacramentalis considerandae ita instare quasi symbolismus, qui nullo diffidente sanctissimae Eucharistiae certissime inest, totam exprimat et exhauriat rationem praesentiae Christi in hoc Sacramento; aut de transubstantiationis mysterio disserere quin de mirabili conversione totius substantiae panis in corpus et totius substantiae vini in sanguinem Christi, de qua loquitur Concilium Tridentinum, mentio fiat ita ut in sola « transsignificatione » et « transfinalizatione », ut aiunt, consistant; aut denique sententiam proponere et in usum deducere secundum quam in Hostiis consecratis, quae expleta celebratione sacrificii Missae supersunt, Christus Dominus praesens non amplius sit.

Nemo non videt his similibusve vulgatis opinionibus fidem et cultum divinae Eucharistiae haud parum laedi.

Ne igitur spes, quae promovente Concilio oborta est, de nova luce Eucharisticae pietatis qua Ecclesia tota perfundatur, falsarum opinionum sparsis seminibus ad irritum redigatur, vos, Venerabiles Fratres, de hoc argumento alloqui Nostramque de eo mentem vobis aperire apostolica auctoritate statuimus.

Equidem non negamus eorum qui has miras opiniones disseminant, haud spernendum studium tantum Mysterium vestigandi eiusque inexhaustas edisserendi divitias eiusdemque intellegentiam hominibus nostrae aetatis aperiendi, quinimmo illud agnoscimus probamusque; sed, quas proferunt, opiniones probare non possumus deque earum pro recta fide gravi periculo vos monere iubemur.

SANCTISSIMA EUCHARISTIA EST MYSTERIUM FIDEI

Illud in primis memorare volumus, vobis quidem notissimum, sed ad propulsandum cuiusque rationalismi virus maxime necessarium, quod plures incliti Martyres proprio sanguine sunt testati quodque praeclari Patres et Doctores Ecclesiae continenter professi sunt et docuerunt, id est Eucharistiam esse pergrande mysterium, immo proprie, ut Sacra Liturgia loquitur, *mysterium fidei*. « Hoc nimirum uno », ut

sapientissime ait Decessor Noster Leo XIII f. r., « quaecumque supra naturam sunt, singulari quadam miraculorum copia et varietate, universa continentur » (Litt. Encycl. *Mirae caritatis*; *Acta Leonis XIII*, XXII, 1902-1903, p. 122).

Hoc enim mysterium humano non percipitur ratiocinio, sed humili fide ei assentitur, divino adhaerentes eloquio quod fallere non potest. Praesentia Corporis et Sanguinis Christi sensu non deprehenditur, sed sola fide quae auctoritati divinae innititur, cui cum Petro profiteri debemus: « Domine ad quem ibimus? Verba vitae aeternae habes » (Io. 6, 69). Hanc fidem, decursu saeculorum, Magisterium firmat et probat. Cuius etiam loquendi modus, formulae quae dogmata exprimunt, a Conciliis propositae, ut tessera vel vexillum fidei saepe habitae, sancte sunt servandae. Formulae ergo, quibus Concilium tridentinum mysterium eucharisticum ad credendum proposuit, nemo mutare audeat. Ipsae enim, sicut et pro ceteris dogmatibus, quod mens humana universalis et necessaria experientia de rebus percipit apte exprimentes, omnium temporum et locorum hominibus sunt accommodatae. Possunt certo clarius illustrari sed « eodem sensu quo adhibitae sunt, ut proficiente fidei intelligentia, maneat fidei immutabilis veritas ».

MYSTERIUM EUCHARISTICUM IN MISSAE SACRIFICIO CONFICITUR

*Doctrinae mysterii eucharistici velut caput et summa in hoc est: « per mysterium Eucharisticum sacrificium Crucis, semel in Calvario peractum, admirabili modo repraesentari, iugiter in memoriam revocari eiusque virtutem salutarem in remissionem eorum quae quotidie a nobis committuntur peccatorum applicari » (Concil. Trid., *Doctrina de SS. Missae Sacrificio*, c. 1).*

*Christus enim Dominus, Novum Testamentum, cuius Mediator est, firmavit sanguine suo. Et suis Apostolis quod ipse in Cena novissima fecit, perpetuo, in sui memoriam, renovandum iussit. Quod Ecclesia inde a primordiis continuo fideliterque exsecuta est, hanc Novi Testamenti novam oblationem offerens « non solum pro fidelium vivorum peccatis, poenis, satisfactionibus et aliis necessitatibus, sed et pro defunctis in Christo, nondum ad plenum purgatis » (Conc. Trid. *Doctr. de SS. Missae Sacrificio*, c. 2).*

Sed est aliud, quod, cum ad mysterium Ecclesiae illustrandum maxime conducatur, addere libet, id est Ecclesiam una cum Christo munere

fungentem sacerdotis et victimae, Missae Sacrificium totam offerre in eoque et ipsam totam offerri. Haec doctrina sane mirabilis, quam olim docuerunt Patres (cfr. S. Augustin., *De civit. Dei*, X, 6; P.L. 41, 284), quam paucis ante annis Decessor Noster f. r. Pius XII exposuit (cfr. Litt. Encycl. *Mediator Dei*, A.A.S. XXXIX, 1947, p. 552) quamque nuper Concilium Vaticanum II in Constitutione de Ecclesia, cum de populo Dei ageret, expressit (cfr. Const. dogm. *De Ecclesia*, c. 2, n. 11; A.A.S. LVII, 1965, p. 15), vehementer optamus, servata, quemadmodum par est, distinctione non gradus solum sed etiam essentiae, quae intercedit inter sacerdotium commune et sacerdotium hierarchicum (cfr. *ibid.* c. 2, n. 10; A.A.S. LVII, 1965, p. 14), ut etiam atque etiam explanetur animisque fidelium penitus inseratur; aptissima enim invenitur ad pietatem Eucharisticam fovendam, ad dignitatem omnium fidelium extollendam necnon ad eorum impellendum animum ut fastigium sanctitatis, quod idem est ac generosa sui oblatione totum se divinae Maiestati mancipare, attingat.

Praeterea, quae inde elucet conclusio de « natura publica et sociali cuiusvis Missae » (Const. *De Sacra Liturgia*, c. 1, n. 27; A.A.S. LVI, 1964, p. 107), commemoretur oportet.

Quaelibet enim Missa, etsi a sacerdote privatim celebratur, privata tamen non est, sed actus Christi et Ecclesiae; quae quidem Ecclesia in sacrificio, quod offert, seipsam tamquam universale sacrificium discit offerre et unicam et infinitam redemptricem sacrificii Crucis virtutem universo mundo ad salutem applicat. Unaquaeque enim Missa quae celebratur, non pro aliquorum tantum sed pro totius etiam mundi salute offertur. Inde sequitur ut si Missae celebrationem quasi natura sua frequens et actiosa fidelium participatio maxime deceat, carpenda tamen non sit, immo probanda Missa quae, iuxta Sanctae Ecclesiae praescripta et legitimas traditiones, iusta de causa a Sacerdote privatim, etiam solo ministro inserviente et respondente, celebratur; ex illa enim non parva, immo amplissima peculiarium gratiarum copia ad salutem tum ipsi sacerdoti, tum fidei populo et toti Ecclesiae, tum universo mundo provenit, quae gratiae eadem copia per solam Communionem non obtinentur.

Paterne igitur et enixe commendamus sacerdotibus, qui potissimum gaudium Nostrum et corona Nostra sunt in Domino, ut memores potestatis quam per Episcopum consecrantem acceperunt, offerendi scilicet Sacrificium Deo Missasque celebrandi tam pro vivis quam pro defunctis in nomine Domini (cfr. Pontificale Romanum), quotidie digne

et devote Missam celebrent, ut ipsi et ceteri Christifideles fructuum ex sacrificio Crucis uberrime manantium applicatione fruantur. Ita etiam plurimum ad salutem humani generis conferunt.

IN MISSAE SACRIFICIO CHRISTUS SACRAMENTALITER PRAESENS EFFICITUR.

In Eucharistiae mysterio Sacrificium a sacramento separari non potest. Per consecrationis verba Christus sacramentaliter incipit praesens adesse, « tamquam spiritualis fidelium alimonia, sub speciebus panis et vini ».

Variis modis Christus praesens adest Ecclesiae suae peregrinanti et ad vitam aeternam anaelantis: cum ipsa orat, opera misericordiae exercet, Evangelium nuntiat, populum Dei regit, gubernat et praesertim cum Sacrificium Missae celebrat et sacramenta administrat. Sed alia ratione, et quidem praestantissima, Christus praesens adest Ecclesiae in Eucharistiae sacramento quod continet ipsum Christum et est « quasi consummatio spiritualis vitae et omnium sacramentorum finis » (S. Thomas, Sum. Theol., III, q. 73, a. 3 c).

Quae praesentia non est spiritualis tantum, scilicet intimae coniunctionis Christi cum fidelibus, in corpore mystico, sed « realis » modo particularis dicitur, ut indicetur eam esse substantialem, qua totus et integer Christus, Deus et homo, fit praesens.

CHRISTUS DOMINUS PRAESENS ADEST IN EUCHARISTIAE SACRAMENTO PER TRANSUBSTANTIATIONEM.

Circa praesentiae substantialis modum, quo Christus adest in Eucharistia, omnes naturae leges praetergradientem, vox Ecclesiae nos certiores facit « non aliter Christum fieri praesentem in hoc sacramento quam per conversionem totius substantiae panis in corpus et totius substantiae vini in sanguinem, quam conversionem plane mirabilem et singularem, Catholica Ecclesia, convenienter et proprie transubstantiationem appellat » (Conc. Trid., Decr. de SS. Eucharistia, c. 4 et can. 2).

Ita transubstantiatione peracta, species panis et vini cum suis proprietatibus permanent, novam tamen induunt significationem novumque finem, quia novam continent realitatem « ontologicam ». Tota enim substantia panis et vini in Corpus et Sanguinem Christi convertitur.

Ideo Patribus monitis assentientes, sensibus non est aquiescendum, panis et vini proprietates referentibus, sed virtuti omnipotenti verborum Dei. Documenta magisterii et Oecumenica Concilia consensionem Ecclesiae hac de re exprimunt fidemque confirmant.

Perantiqua Ecclesiae documenta testimonium praebent de summa diligentia ad Eucharistiam servandam semper habita et de cultu patriae SS.mae Eucharistiae, non solum intra Missarum sollemnia, verum etiam extra Missam, variis formis praestito, deque frequentia in sacra Communionem a fidelibus percipienda. Ex hac fide festum Corporis Christi et multae pietatis eucharisticae institutiones ortae et in dies auctae sunt per saecula.

EXHORTATIO AD CUL-TUM EUCHARISTICUM PROMOVENDUM

Nullis ergo verbis laboribusque parcentes, animarum Pastores adlaborent ut populi christiani pietas eucharistica pure et integre servetur et promoveatur.

Quotidie, ut optabile est, et quam frequentissimi fideles Missae sacrificium actuose participant, et sacra Communionem pure sancteque se reficiant et congruam gratiarum actionem pro tanto dono Christo Domino rependant. Memores sint horum verborum: « Desiderium Iesu Christi et Ecclesiae, ut omnes Christifideles quotidie ad sacrum convivium accedant, in eo potissimum est ut per sacramentum Deo coniuncti robur inde capiant ad compescendam libidinem, ad leves culpas quae quotidie occurrunt abluendas, et ad graviora peccata quibus humana fragilitas est obnoxia, praecavenda » (Decr. S. Congr. Concil., 20 dec. 1905, approb. a S. Pio X; A.S.S. XXXVIII, 1905, p. 401). Insuper visitationem sanctissimi Sacramenti in nobilissimo loco et quam honorificentissime in ecclesiis secundum leges liturgicas adservandi interdum facere ne omittant, utpote quae erga Christum Dominum, in eodem praesentem, sit et grati animi argumentum et amoris pignus et debitae adorationis officium.

Divina enim Eucharistia populo christiano inaestimabilem confert dignitatem. Nam, sacrificio oblato, sacramentum permanet et revera Christus est Emmanuel, id est « nobiscum Deus ». In medio nostri, die ac nocte habitat, et instruit, alit, consolatur, roborat accedentes ad eum, omnium virtutum magister, suavitatisque vitae interioris cum ipso absconditae in Deo suggestor.

Nostis insuper, Venerabiles Fratres, Eucharistiam adservari in templis seu oratoriis tamquam centrum spirituale communitatis religiosae vel communitatis paroecialis, immo universae Ecclesiae et totius humanitatis, quippe quae contineat sub specierum velamine Christum Ecclesiae invisibile Caput, mundi Redemptorem, centrum omnium cordium, *per quem omnia et nos per ipsum* (1 Cor. 8, 6).

Ita fideles, proprio individualismo spoliati, ad amorem socialem et « ecclesiale » excolendum ducuntur. Eucharistia enim, signum est efficax unitatis Corporis Christi. Quo fit ut christifideles et praesertim religiosi, desiderium unitatis Ecclesiae, in hoc unitatis signo et caritatis vinculo perfecte restauratae, persentiant, et ad illam efficiendam, Sanctissimam Eucharistiam adorando, Deo se devoveant.

Utinam benignissimus Redemptor, qui mortem iam iam subiturus Patrem oravit, ut omnes qui in se credituri essent unum forent, sicut ipse et Pater unum sunt (cfr. Io. 17, 20-21), flagrantissimum hoc Nostrum universaeque Ecclesiae votum quam citissime exaudire dignetur, ut omnes uno ore et una fide Eucharisticum Mysterium celebremus et Corporis Christi participes effecti, unum corpus efficiamur (cfr. 1 Cor. 10, 17), eisdem nexibus compactum quibus ipse illud constitutum voluit.

Eos insuper alloquimur, fraternae caritatis sensus pandentes, qui ad venerabiles Orientis Ecclesias pertinent ex quibus tot exstiterunt gloriosissimi Patres, quorum fidei testimonia de Eucharistia perlibenti animo in hisce Nostris Litteris commemoravimus. Permagno gaudio animus perfunditur cum fidem vestram, quae et Nostra est, de Eucharistia consideramus, orationes liturgicas quibus tantum mysterium celebratis auscultamus, cultum Eucharisticum conspiciamus, theologos doctrinam de augustissimo hoc Sacramento exponentes aut defendentes legimus.

Beatissima Virgo Maria, ex qua Christus Dominus eam carnem assumpsit quae in hoc Sacramento sub speciebus panis et vini « continetur, offertur, sumitur » (C.I.C., can. 801) omnesque Sancti et Sanctae Dei, ii praesertim qui ardentiore devotione erga divinam Eucharistiam flagrarunt, intercedant apud misericordiarum Patrem, ut ex communi fide et cultu Eucharistico perfecta unitas communionis inter omnes qui christiano nomine censentur exoriatur et vigeat. Haerent animo verba sanctissimi martyris Ignatii Philadelphenos monentis contra malum divisionum et schismatum, quorum remedium est in Eucharistia. « Studete igitur », inquit, « una gratiarum actione uti. Una enim caro

Domini nostri Iesu Christi, et unus calix in unionem sanguinis ipsius, unum altare, unus episcopus... » (*Epist. ad Philadelph.* 4; P.G. 5, 700).

Suavissima spe freti bonorum quae ex aucto cultu Eucharistico in universam Ecclesiam universumque mundum proficiscentur, vobis, Venerabiles Fratres, presbyteris, religiosis, et omnibus qui adiutricem operam vobis praestant universisque fidelibus curae vestrae commissis, Apostolicam Benedictionem, caelestium gratiarum auspicem, effuso et peramanti animo impertimus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die III mensis Septembris, in festo S. Pii X, Papae, anno MCMLXV, Pontificatus Nostri tertio.

PAULUS PP. VI

ALLOCUTIO SUMMI PONTIFICIS
AD PARTICIPANTES «CONVENTUM DE POPULARIBUS
INTERPRETATIONIBUS TEXTUUM LITURGICORUM»

Occasione celebrationis «Conventus de popularibus interpretationibus textuum liturgicorum», Beatissimus Pater, die 10 novembris 1965, benignissime dignatus est peculiari Audientia excipere magnam familiam liturgicam per totum orbem diffusam et operantem, nempe: Em.mos et Exc.mos Patres «Consilii» Sodales, Exc.mos Praesides Commissionum liturgicarum nationalium, una cum sacerdotibus et laicis Romae coadunatis ad praedictum Conventum participandum.

Em.mus Card. Iacobus Lercaro, «Consilii» Praeses, Beatissimo Patri omnium filialem devotionem et amorem expressit atque voluntatem «Ecclesiae servitio se vovere, et operam et vires et scientiam et artem insumere, absque cunctatione, nulli parcentes labori, ut sacra ac divina liturgia, in qua Maiestati divinae omnis honor et gloria ascendit et animabus fons aperitur perennis sanctitatis, etiam in hodiernis adiunctis, novam ac multicolorem vestem induens linguarum vernacularum, integram suam servet interioritatem et intrinsecum valorem praeclarissimi operis sanctificantis; sicque vivam pro hominibus vivis sese exhibeat, ut tota familia Dei ad superna elevata, sacrificio mundo et immaculato in sancta Ecclesia incessabiliter oblato, sanctificetur et alatur».

Deinde Summus Pontifex electi coetui suam Allocutionem amabiliter direxit.

Venerabiles Fratres ac dilecti filii,

Vos omnes qui, pro mandato munere operam dantes liturgicis textibus in vulgares sermones convertendis, hos dies Romae estis congregati, ut de rebus, quae vestra maxime intersunt, una tractetis et disceptetis, ex animo iubemus salvere. Romam, ad Petri sedem, rediistis, unde totum opus, ad quod alacres incumbitis, id est renovatio Sacrae Liturgiae, praesertim quod ad populi participationem attinet, initium sumpsit. Ad fontem estis reversi, unde aquas limpidas et salubres hauriretis.

Probamus sane propositum eiusmodi Conventus agendi, nam versio textuum illorum in vernaculas linguas est res tantae prudentiae, tanti momenti, tantae difficultatis, ut solum collatis consiliis inter omnes, ad quos pertinet, utiliter expediri videatur, utque non cuiusvis arbitrio relinqui possit et ea de causa opus expectationi Ecclesiae et fidelium fortasse non respondeat.

Quantae molis id negotium esset, expertus est ipse Sanctus Hieronymus, in hac arte facile peritissimus; ait enim: « Si ad verbum interpretor, absurdum resonat; si ob necessitatem aliquid in ordine et in sermone mutavero, ab interpretis videbor officio recessisse » (*Interpret. Chron. Euseb. Pamph.*, Praef.; P.L. 27, 35).

Ut vobis cunctis persuasum est, nequaquam reapse tot sunt liturgiae quot sunt sermones, quibus Ecclesia in sacris ritibus utitur, sed una et eadem est ac manet vox Ecclesiae divina mysteria celebrantis et Sacramenta administrantis, licet linguarum varietate exprimatur.

Eo autem quod haec sollicita Mater, per magisterium Oecumenici Concilii Vaticani Secundi, filios suos vocavit, ut, sui muneris in Corpore Christi conscii, liturgicas preces et actiones naviter participarent, atque eam ob rem textus, antiquitate, pietate, pulchritudine, diuturno usu venerabiles, in patrios

eorum sermones illa sivit converti, manifestum est summum officium et gravissimum onus eorum, qui eosdem textus interpretantur. Versiones, quae ante promulgatam Constitutionem de Sacra Liturgia hic atque illic editae erant, eo pertinebant, ut fideles ritus lingua Latina celebratos intellexerent; erant videlicet subsidia populi, veteris huius linguae ignari. Nunc autem versiones factae sunt partes ipsorum rituum, factae sunt vox Ecclesiae.

Etsi sermo vulgaris, cui nunc locus est in Sacra Liturgia, omnium, etiam parvulorum et rudium, captui debet esse accommodatus, semper tamen, ut probe nostis, dignus sit oportet rebus celsissimis, quae eo significantur, diversus a cotidiana loquendi consuetudine, quae in viis et foris viget, talis, ut animi sensus tangat et corda Dei amore inflamet. Neque eadem est, ut patet, lingua, qua interpretes reddere debent locos e Sacra Scriptura, verbum divinum continente, depromptos, orationes, hymnos. Qui igitur huic se dant operi, callere debent et linguam Latinam christianam et sermonem vulgarem, qui cuiusque est proprius. Musicae etiam artis est interpretibus ratio habenda atque adeo verba, quae canuntur, modulationi, secundum indolem et naturam cuiusque gentis, ita aptentur oportet, ut animi ope canticorum facilius et ardentius Deo adhaereant.

Itaque acri ingenio et impigro studio curae omnes eo intenduntur, ut communitas liturgica possit probare vestem elocutionis, mundam singulisque partibus congruentem, et « pulchrum intrinsecus rerum corpus invenire » (cfr. S. Hieron., op. cit.; 36). Quodsi venustas et ubertas Romani eloquii, quo per saeculorum decursum in Ecclesia Latina Deo est supplicatum ac tributum laudis gratiarumque actionis persolutum, propter utilitates pastorales sunt ex parte amissae, tamen vestra opera, sapienti ac diligenti, non dissimilis nitor orationis et

sententiarum gravitas in versionibus textuum liturgicorum splendescant.

Hac insuper oblata occasione impellimur, ut paterno animo omnes, ad quos spectat, de rebus nonnullis moneamus, quae non ad interpretandi officium et artem sed ad usum potius pertinent.

Imprimis videtur esse in memoriam revocanda norma, a Dilecto Filio Nostro Iacobo Cardinali Lercaro, Consilii ad exsequendam Constitutionem de Sacra Liturgia sedulo Praeside, huius nomine edita per epistulam die sexta decima mensis octobris anno millesimo sexagesimo quarto datam, qua quidem norma cautum est, ut, quod attinet ad linguam vernaculam in Liturgiam inducendam, transitus ad novam rerum conditionem per gradus et cum prudentia fieret, ac praecipue ut in regionibus, ubi una eademque lingua viget, unitas textuum liturgicorum servaretur atque adeo multiplex interpretatio, quae gravitati ac dignitati illorum officeret, vitaretur.

Cum praeterea Sacra Liturgia universa moderationi Hierarchiae sit obnoxia (cfr. *Const. de Sacra Lit.*, art. 22, §§ 1-2; *A.A.S.* LVI, 1964, p. 106), omnes, sive singuli, sive coetus, sive praecipue in Nationibus instituta rei liturgicae accurandae et provehendae, sive commentarii, quibus idem est propositum, in unaquaque regione plane pendeant ex Hierarchia. Competentis auctoritatis est huiusmodi arctioris necessitudinis vincula definire de iisque statuere. Summo igitur studio est annitendum, ut hac etiam in re omnium sit una voluntas, una actio, quemadmodum unus est finis, ad quem contenditur, una perfectionis imago, quae mentibus obversatur et ad quam assequendam tot fiunt conatus.

Est demum animadvertendum textus liturgicos, a competenti auctoritate approbatos et ab Apostolica Sede confirmatos, tales esse, ut religiose debeant servari. Nemini ergo licet eos ad suum arbitrium mutare, minuere, amplificare, omittere.

Quodsi Ecclesia in re liturgica Matrem se praebebat benignam ac liberalem, ut filii sui sacros ritus « actuose, conscie, pie » queant participare, tamen ea, quae legitime sunt constituta, iam vim habent legum ecclesiasticarum, quibus e conscientiae officio omnes obsequi debent; idque vel magis, cum de legibus agatur, quibus actio omnium sanctissima regitur.

Neque ulli licet experimenti causa res novas in Liturgiam inducere, quod in grave damnum cedere potest divini cultus vel Christifidelium; siquidem ad normam Constitutionis de Sacra Liturgia (cfr. art. 40, 2; A.A.S. cit., p. 111) unius Apostolicae Sedis est huiusmodi experimenta permittere.

Haec habuimus, Venerabiles Fratres ac dilecti filii, quae ad vos, interpretes Ecclesiae in sacris ritibus iubilantis, supplicantis, docentis, diceremus; ac vota suscipimus, ut perarduum sed nobilissimum opus, ingenio ac diligentiae vestrae creditum, ad Dei gloriam atque in veram utilitatem verumque profectum vertat populi Dei. Cuius rei auspex sit Apostolica Benedictio, quam vobis, qui coram adstatis, et cunctis sociis vestris libenter in Domino impertimus.

NOVI SODALES « CONSILII »

Beatissimus Pater Paulus VI benignissime dignatus est cooptare inter Patres « Consilii » Sodales, sequentes Exc.mos Presules:

Exc.mum DD. MICHAËLEM PELLEGRINO, Archiepiscopum Taurinensem (Italia).

Exc.mum DD. ALEXANDRUM KOVÁCS, Episcopum Sabariensem (Hungaria).

Exc.mum DD. AMBROSIUM LAŽÍK, Episcopum tit. Appianum et Administr. Apost. Tyrnaviensem (Cecoslovachia).

Exc.mum DD. IOANNEM G. M. BLUYSEN, Episcopum tit. Aetensem et Auxiliarem Buscoducensem (Hollandia).

Exc.mum DD. GERALDUM EMMET CARTER, Episcopum Londonensem (Canadia).

SUMMARIUM DECRETORUM
QUIBUS DELIBERATIONES COETUUM
EPISCOPORUM CONFIRMANTUR

(a die 1 ad diem 30 oct. 1965)

EUROPA

Albo-Rutheni extra patriam degentes

I. Documenta: 26 oct. 1965 (Prot. n. 3804/65).

IV. Interpretationes populares adhibendae:

1. MISSALIA: Proprium Missae votivae « pro quacumque necessitate ».

Austria

I. Documenta: 27 oct. 1965 (Prot. n. 3842/65).

II. Partes quae lingua vernacula proferri possunt:

1. IN MISSA: praefatio.
2. IN SACRAMENTIS ET SACRAMENTALIBUS: ritus vigiliae paschalis.

III. Interpretationes populares adhibendae:

1. MISSALIA: textus praefationum Missae, laudis caerei et benedictionis fontis in Vigilia paschali, a Coetu Episcoporum propositi.
-

Gallia

V. Decreta particularia:

20. Auxitanae (20 oct. 1965, Prot. n. 3678/65): confirmatur interpretatio gallica Proprii dioeceseos.

Germania

- I. Documenta: 13 oct. 1965 (Prot. n. 3681/65).

III. Partes quae lingua vernacula proferri possunt:

1. IN MISSA: praefatio.
2. IN SACRAMENTIS ET SACRAMENTALIBUS: iuxta decretum typicum.

IV. Interpretationes populares adhibendae:

1. MISSALIA: Textus praefationum, a Coetu Episcoporum propositus.
2. RITUALIA: Versio textuum in *Collectione Rituum pro dioecesibus Germaniae, parte I*, adhuc lingua latina exstantium; allocutionum et admonitionum in sacris Ordinibus conferendis; formulae absolutionis sacramentalis, a Coetu Episcoporum proposita.

V. Decreta particularia.

3. Herbipolensis (30 oct. 1965, Prot. n. 3876/65): confirmatur interpretatio germanica Proprii Missarum et Officiorum dioeceseos.

Hispania

V. Decreta particularia.

9. Sancti Sebastiani (30 oct. 1965, Prot. n. 3803/65): confirmatur interpretatio vasconica Proprii Missarum tempore Adventus et Nativitatis Domini.

Italia

I. Documenta: 14 oct. 1965 (Prot. n. 3771/65).

III. Partes quae lingua vernacula proferri possunt: praefatio.

IV. Interpretationes populares adhibendae:

1. MISSALIA: Textus praefationum a Coetu Episcoporum propositus, et parva missalia edita a LUGANO (Libreria Editrice Vaticana), STRAZZACAPPA-CECCARELLI (Ed. Presbyterium), et *Messale dell'Assemblea* (L. D. C., Torino-Leumann 1965).

V. Decreta particularia:

17. Lyciensis (20 oct. 1965, Prot. n. 3779/65): confirmatur interpretatio italica Proprii dioeceseos.
18. Mediolanensis (14 oct. 1965, Prot. n. 3780/65): probantur ad experimentum, una cum interpretatione italica: ritus Baptismi parvulorum, matrimonii intra Missam et extra Missam, unctionis infirmorum, Communionis pro infirmis, commendationis animae, benedictionis apostolicae in articulo mortis, benedictionis mulieris post partum; ritus continuus unctionis et communionis infirmorum; litaniae sanctorum pro visitandis infirmis.

Jugoslavia

I. Documenta: 27 oct. 1965 (Prot. n. 3802/65).

III. Partes quae lingua vernacula proferri possunt.

1. IN MISSA: praefatio.

IV. Interpretationes populares adhibendae.

1. MISSALIA:

a) Lingua croatica:

Textus praefationum, Missae chrismatis feria V Hebdomadae san-

ctae, variationum inductarum in Actione liturgica feriae VI in Passione et Morte Domini, benedictionis nuptialis intra Missam, a Coetu Episcoporum propositi.

b) **Lingua slovena:**

Versio praefationum in Missali iam debite approbato exstans. Textus quattuor praefationum particularium, Missae chrismatis feria V Hebdomadae sanctae, variationum inductarum in Actione liturgica feriae VI in Passione et Morte Domini, quarundam Missarum votivarum, a Coetu Episcoporum propositi.

2. **RITUALIA:**

b) **Lingua slovena:**

Versio litaniae sanctorum a Coetu Episcoporum proposita.

V. **Decreta particularia:**

5. **Sloveniae** (15 oct. 1965, Prot. n. 3661/65): confirmatur parvum Officium *Malo Opravilo* a FLEISCHMANN (Ljubljana 1963) paratum; et officium parvum B. M. V. et defunctorum *Marijine Dnevnice in Dnevnice za Rajne* (Celovec 1965).

Polonia

I. **Documenta:** 27 oct. 1965 (Prot. n. 3663/65).

III. **Lingua vernacula quae adhiberi potest:** polona.

III. **Partes quae lingua vernacula proferri possunt:**

1. IN MISSA: iuxta decretum typicum, exceptis formulis: *Ite Missa est, Benedicamus Domino, Requiescant in pace.*
2. IN SACRAMENTIS ET SACRAMENTALIBUS: in ritu confirmationis, formula sacramentali excepta, et in distribuenda s. Communione extra Missam.

IV. **Interpretationes populares adhibendae:**

1. MISSALIA: *Miszal Rzymiski* (Poznan 1963).

2. RITUALIA: *Collectio rituum continens excerpta e Rituali romano Ecclesiis Poloniae adaptato* (Katowice 1963).

V. Decreta Particularia:

1. Katovicensis (30 oct. 1965, Prot. n. 3778/65): confirmatur interpretatio polonica responsorii *Libera me, Domine*.

ASIA

Goana et Damanensis Archidioecesis

- I. Documenta: 26 oct. 1965 (Prot. n. 3828/65).

II. Interpretationes populares adhibendae:

1. MISSALIA:

Misar Porgottche. Povitr Purannavele Bhag, III. (Epistolae et Evangelia a dom. XVI ad dom. XXIV post Pentecosten).

Hierosolymitanus Patriarchatus Latinus

- I. Documenta: 20 oct. 1965 (Prot. n. 3660/65).

III. Partes quae lingua vernacula proferri possunt:

1. IN MISSA: praefatio.

IV. Interpretationes populares adhibendae:

1. MISSALIA:

Lingua arabica:

Textus Ordinarii Missae et praefationum a Patriarcha propositi.

India

I. Documenta: 15 oct. 1965 (Prot. n. 3679/65).

IV. Interpretationes populares adhibendae:

1. MISSALIA: Ordinarium Missae lingua marathi a Coetu Episcoporum propositum.

V. Decreta particularia:

7. Calcutensis (1 oct. 1965, Prot. n. 3711/65): confirmatur interpretatio bengali Sacrae Scripturae: *Pobitro Mongolshomachar* (Quatuor Evangelia); *Mothi rochito Mongolshomachar* (Evangelium sec. Matthaeum); *Korinthiyoder Shomipe Shont Pauler Prothom Potro* (I Epist. ad Corinthios); *Shisho Chorit* (Acta Apostolorum).
8. Patnensis (11 oct. 1965, Prot. n. 3721/65): confirmatur interpretatio hindi Missae B. M. V. Matris Gratiae.

Pakistania

I. Documenta: 20 oct. 1965 (Prot. n. 3712/65).

IV. Interpretationes populares adhibendae:

1. MISSALIA:

Lingua punjabi:

Lectionarium pro diebus dominicis.

Philippinae Insulae

I. Documenta: 27 oct. 1965 (Prot. n. 3852/65).

IV. Interpretationes populares adhibendae:

1. MISSALIA:

Lingua Ilokano:

Ordinarium Missae a Coetu Episcoporum propositum.

AFRICA

Africa Aequatorialis

V. Decreta particularia:

6. **Ciadia** (15 oct. 1965, Prot. n. 2768/65): confirmatur interpretatio lingua ngambay Ordinarii Missae a Coetu Episcoporum proposita.
7. **Gabon** (20 oct. 1965, Prot. n. 3777/65): confirmatur interpretatio lingua mpongwe Ordinarii Missae a Coetu Episcoporum proposita.

Gana

I. Documenta: 20 oct. 1965 (Prot. n. 3508/65).

II. Lingua vernacula quae adhiberi potest: anglica et linguae regionales, nempe:

Pro Archidioecesi Litoris Capitis: Fante, Nzima, Ahanta, Wassa, Sefwi, Simpa-Efutu, Asante-Twi.

Pro Dioecesi Accraënsi: Ga, Adangme, Twi, Ewe.

Pro Dioecesi Ketaënsi: Ewe, Twi, Lelemi.

Pro Dioecesi Kumasiensi: Assante, Twi.

Pro Dioecesi Navrongsensi: Kassem, Buli, Nankam, Talene, Nafte, Kusal, Ntampuli.

Pro Dioecesi Tamalensi: Dagnone; Gonja, Kokomba.

Pro Dioecesi Vaënsi: Daggare, Isaalo.

Nigeria

I. Documenta: 30 oct. 1965 (Prot. n. 3875/65).

IV. Interpretationes populares adhibendae:

1. **MISSALIA:** Ordinarium Missae linguis igala efik (dioec. Calabarensis), et efik (dioec. de Ikot Ekpene), a Coetu Episcoporum propositum.

AMERICA

Argentina

I. Documenta: 26 oct. 1965 (Prot. n. 3838/65).

III. Partes quae lingua vernacula proferri possunt:

1. IN MISSA: Cantus Proprii, orationes et praefatio.

IV. Interpretationes populares adhibendae:

1. MISSALIA: Textus Proprii et orationum pro diebus dominicis et festis; Communis; Missarum votivarum; lectionum pro omnibus diebus anni, a Coetu Episcoporum propositi.

Canadia

V. Decreta particularia:

1. Sinus de Hudson (13 oct. 1965; Prot. n. 3659/65): confirmatur interpretatio lingua aesquimensi Ordinarii Missae.

Carribeana Regio

V. Decreta particularia:

1. Kingstonensis (30 oct. 1965, Prot. n. 3826/65): confirmatur interpretatio anglica orationum propriarum Missae de s. Martino de Porres.

Civitates Foederatae Americae Septentrionalis

I. Documenta: 15 oct. 1965 (Prot. n. 3680/65).

III. Partes quae lingua vernacula proferri possunt:

1. IN MISSA: embolismus, orationes, praefatio, preces ad pedes altaris faciendae et *Orate fratres*.

IV. Interpretationes populares adhibendae:

1. MISSALIA: Ordinarium Missae a Coetu Episcoporum propositum. Pro orationibus et praefationibus *Maryknoll daily Missal of mystical Body*.
2. RITUALIA: *The roman Ritual* (Bruce, Milwaukee, 1965), pro ritibus qui non inveniuntur in *Collectione Rituum pro dioecesisbus Civitatum Foederatarum Americae Septentrionalis*. Pro ordinibus conferendis et sacrorum Oleorum consecratione, textus a Coetu Episcoporum propositi.

Dominicana Respublica

I. Documenta: 20 oct. 1965 (Prot. n. 3774/65).

III. Partes quae lingua vernacula proferri possunt: praefatio.

IV. Interpretationes populares adhibendae.

1. MISSALIA:

a) Lingua hispanica:

Textus praefationum in parvis missalibus iam approbatis exstans.

b) Lingua anglica:

Textus pro Civitatibus Foederatis Americae Septentrionalis approbati.

3. BREVIARIA

b) Lingua anglica:

The Hours of the Divine Office in English and Latin, Collegeville.

Decreta, quibus confirmantur interpretationes populares praefationum in Missa

Mexicum, die 11 oct. 1965 (Prot. n. 3749/65): confirmatur interpretatio popularis exstans in parvis missalibus iam debite approbatis.

Philippinae Insulae, 11 oct. 1965 (Prot. n. 3716/65): confirmatur interpretatio samareña a Coetu Episcoporum proposita.

Samoa et Tokelau Insulae (Vicariatus Apost.), die 27 oct. 1965 (Prot. n. 3837/65): confirmatur interpretatio popularis a Vicario Apostolico proposita.

SUMMARIUM DECRETORUM QUIBUS CONFIRMANTUR INTERPRETATIONES POPULARES PROPRIUM RELIGIOSORUM

(a die 1 ad 30 oct. 1965)

Ordo Fratrum Praedicatorum

POLONIA

10. Die 20 oct. 1965 (Prot. n. 3788/65): confirmatur interpretatio polonica Ordinarii Missae.

Ordo Fratrum Minorum

ITALIA

4. Die 30 oct. 1965 (Prot. n. 3847/65): confirmatur interpretatio italica Proprii Missarum Ordinis.

Societas Sancti Francisci Salesii

ITALIA

1. Die 20 oct. 1965 (Prot. n. 3782/65): confirmatur interpretatio italica Proprii Missarum Societatis et Filiarum Mariae Auxiliatricis.

Religiosae Dominicanae

AUSTRALIA

1. Die 11 oct. 1965 (Prot. n. 3722/65): confirmatur interpretatio anglica ritus Vestitionis ad usum religiosarum Dominicanarum in Australia.

Order of Visitation in the United States

CIVITATES FOEDERATAE AMERICAЕ SEPTENTRIONALIS

1. Die 13 oct. 1965 (Prot. n. 3575/65): confirmatur interpretatio anglica quarundam partium Officiorum B. Mariae Virginis, S. Ioannae Franciscæ de Chantal, et S. Francisci Salesii.

Institutum Saec. Missionariorum Regalitatis D. N. I. C.

REGIONES LINGUAE ANGLICAE

1. Die 30 oct. 1965 (Prot. n. 3877/65): confirmatur versio anglica Ritualis Instituti.

Decreta, quibus facultas datur omittendi Horam Primam

Congregatio Ottiliensis O. S. B. pro Missionibus exteris, die 11 oct. 1965 (Prot. n. 3742/65).

Ordo Cistercensium Reformatorum, die 5 nov. 1965 (Prot. n. 3944/65).

Ordo Fratrum Praedicatorum, die 19 oct. 1965 (Prot. n. 3787/65).

Ordo Fratrum Minorum Capuccinorum, die 22 oct. 1965 (Prot. n. 3808/65).

Ordo Fratrum Eremitarum discalceatorum S. Augustini, die 15 oct. 1965 (Prot. n. 3748/65).

CONVENTUS DE POPULARIBUS INTERPRETATIONIBUS TEXTUUM LITURGICORUM

(Romae, 9-13 nov. 1965)

Conventus, sub moderamine et responsabilitate « Consilii » ordinatus, celebratus est in *Palazzo della Cancelleria*, diebus 9-13 novembris 1965, iuxta programma iam notum (cf. *Notitiae*, pp. 203-206; 273-276). 249 periti (69 Episcopi, 167 sacerdotes et religiosi, 13 laici) ex 69 nationibus, Romae convenerunt, tamquam « magna familia liturgica nostra — uti dixit Em.mus Card. Iacobus Lercaro, « Consilii » Praeses, Congressum inaugurans — quae nunc ad *unam mensam studii et meditationis* colligitur ut magnum opus incoeptum, unitis viribus, prosequamur ».

Momentum et impellens necessitas huius studii et profundae inquisitionis, in quibus Conventus incubuit, ab ipso Em.mo « Consilii » Praeside, qui omnes sessiones postmeridianas participavit, inde ab exordio memorata sunt. Pia enim, actiosa et conscia fidelium participatio ad genuinos fontes vitae divinae per liturgiam, quae uti nota peculiaris renovationis et novae efflorescentiae vitae christianae post-conciliaris iam praevidetur, gravia et salebrosa problemata ponit praesertim quoad cantum sacrum et ad versiones textuum liturgicorum in vernaculas linguas.

« Textus enim liturgicus — ait Em.mus Card. Iacobus Lercaro — nunc, magis autem in liturgia instaurata, constituit *fundamentum substantiale* pro nobili ac decora sacra celebratione atque pro fidelium actiosa participatione. Quae interpretatio profluere debet *ex libris sacris, ex libris liturgicis, ex traditione veneranda*, ex textibus quos sancta mater Ecclesia in liturgia ordinanda determinat, non vero ex libera inspiratione vel singulari et individuo arbitrio ».

Praecipuum problema consistit in nova lingua efformanda pro usu liturgico, quae hodierna sit oportet et insimul antiquae traditionis non ignara, quaeque nova sacralitate, qua fere omnes linguae populares carent, ditanda est.

Circa haec fundamentalia problemata sive theoretica sive practica 17 relatores proprias investigationes peregerunt et sermones instituerunt, saepe experientiam in parandis versionibus recenter acquisitam

atque graves difficultates, quandoque adhuc non solutae, praesertim quoad linguas in locis missionum, referentes.

Sessiones matutinae etiam coetus particulares exceperunt in quibus specialia problemata perscrutata sunt: *De indole pastoralis interpretationis; de linguis vernaculis in locis missionum; de interpretatione Ordinarii Missae, lectionum, textus Proprii, orationum et praefationum.*

Omnes grave onus quod translatoribus librorum liturgicorum incumbit presentierunt et media ad viam faciliorem reddendam communi consilio quaesierunt, desiderio moti hoc linguarum pentecostale dono, a Concilio in Ecclesia renovato, maxima cum fidelium utilitate et veritatis fidelitate adhibendi.

Cum Conventus potius studio operam dederit, vota non protulit; sed summa laborum in aliqua synthesis conclusiva Exc.mus DD. Renatus Boudon, Episcopus Mimatensis et Conventus Praeses, collegit quae infra refertur. Acta autem publici iuris fient linguis magis vulgatis.

Inter eventus qui hanc magnam congressionem illustrarunt, haec insuper memoranda videntur.

Die 10 novembris, hora 18,30, in Aula Clementina, Beatissimus Pater omnes participantes excipere dignatus est eisque suum animum aperire, lingua latina et *vulgari*, ad thema Conventus etiam hac paterna benignitate honorandum.

In Aula Congressus expositio parata est recentes libros liturgicos in linguis vernaculis aliasque publicationes ad participationem liturgicam fovendam editas ostendens.

Peculiarem autem successum, etiam extra ambitum Conventus, obtinuit alia expositio in aedibus Bibliothecae Vaticanae parata, cura ipsius Bibliothecae, consultoribus « Consilii » operam dantibus. Perantiqui codices, uti v. gr., *Sacramentarium Gelasianum*, duo manuscripta *Sacramentarii Gregoriani*, *Missale Gothicum*, *Ordines Romani I et III*, *Codex prototypus liturgiae dominicanae*, antiphonaria, lectionaria, varia ritualia generalia et particularia, Breviaria, Pontificalia, editiones peculiares, uti versio italica saec. XII praefationis « Exultet » vel Missale sinicum, cura Pauli V editum, multaque alia, optime ostenderunt evolutionem simul et continuitatem liturgiae romanae in decursu saeculorum, et fidelitatem instaurationis, a Concilio Vaticano II statutae, cum antiqua liturgia.

SYNTHESIS CONCLUSIVA

Noster conventus ad finem pervenit. Etsi a Consilio liturgicae reformationis artifice promotus, characterem tamen officialem induere noluit; mallebat potius esse communicatio experientiarum et reflexionum, quas suggerit opus translationis, duobus adhuc annis post promulgatam Constitutionem liturgicam fere ubique terrarum inceptum et evolutum.

Relatores non omnia dixerunt, neque magistri esse voluerunt, cum et ipsi, in medias res iactati, eadem problemata experiantur. Quae nobis protulerunt — gratias illis pro tanto labore, exiguo temporis spatio et permultis occupationibus coarctato — ipsi sua personali responsabilitate exposuerunt, minime vero Consilii; et hoc eo animo fecerunt, ut novae reflexiones inducantur quae secum quisque cogitare potuerat.

Participantes multi fuimus, praeter spem; dolendum quod propter tempus vel expensas vel alias rationes plurimi convenire non potuerunt. Gaudendum vero quod plures episcopi, liturgicae reformationi in sua conferentia nationali praepositi, *simul adfuerunt* cum eorum peritis, qui saepe obscurum et arduum laborem gerunt. Signum est temporis; bonam illam methodum demonstrat, quae distinguit inter technicum laborem et auctoritatem episcopalem, inter elaborationem operis et eius iudicium pastorale.

Denique gaudium magnum nobis attulit Summi Pontificis allocutio, circa quam feliciter colligere possumus, tam celsa auctoritate roborata, omnia themata quae sicut *Leit-motiv* in relationibus, pluries in auribus nostris sonuerunt. Liceat mihi hanc allocutionem breviter cum his quae hic dicta sunt, conclusionis instar,nectere.

I. Primo quidem notandum quod labor noster, pars est magna ipsius *renovationis* sacrae liturgiae quae actuosam, consciam et piam participationem intendit. Cum vero « versio textuum illorum — ut Pontifex dicit — in vernaculas linguas, sit res tantae prudentiae, tanti momenti, tantae difficultatis, ut solum collatis consiliis inter omnes ad quos pertinet, utiliter expediri videatur », collaboratio absolute necessaria est. Hodie enim translatio — sicut ceterum, maior pars inceptuum in arte technica vel politica vel oeconomica — nequit opus esse unius hominis in omnibus versati, sed est fructus collaborationis, pluralismum aliquem culturalem secum ferentis, sic dictae « équipe ». Collaboratio, primitus in elaboratione ipsius translationis exprimitur,

ope peritorum in re literaria, philologica, liturgica, catechistica et musica; sed et actuatur in secundo momento, scilicet experimenti ante definitivam compositionem textuum. Denique, si opus fert, manifestatur etiam in opere communi plurium nationum eiusdem linguae, sicut opportune Card. Lercaro, necnon Beatissimus Pater Paulus VI memorati sunt.

II. Opus ipsum translationis, si ex parte textus latini in aliam linguam vertendi, consideretur, requirit ut interpretes bene cognoscant latinitatem christianam cum suis notis propriis, ad quam profundius inspicendam, adiuvantur ab optimis librorum subsidiis; distinguant et genera literaria textuum vertendorum; sed et spiritum sentiant, quo imbuti, auctores illi suam pietatem suumque sensum christianum singulariter expresserunt, utpote genuinam ecclesiae traditionem.

III. Cum vero translatio consideratur relate ad textum lingua vulgari *conficiendum*, plura sequuntur.

a) Primo quidem, factum *novum* in liturgia romana prae oculis habendum, quod Paulus VI innuit: «versiones quae, ante promulgatam Constitutionem de sacra Liturgia, hic atque illic editae erant, eo pertinebant ut fideles, ritus lingua latina celebratos, intellexerent; erant videlicet subsidia populi, veteris huius linguae ignari. Nunc autem versiones factae sunt, partes ipsorum rituum, factae sunt *Vox Ecclesiae*». Prius vero dixerat: «Nequaquam reapse tot sunt liturgiae quot sunt sermones quibus Ecclesia in sacris ritibus utitur, sed una et eadem est ac manet *Vox Ecclesiae*, divina mysteria celebrantis et sacramenta administrantis, licet linguarum varietate exprimatur».

b) Agitur proinde de *nova* lingua christiana inducenda, lingua *liturgica*, characteribus propriis praedita. Cuius notae, a pluribus nostris oratoribus affirmatae, etiam a Paulo VI notantur, cum dicit sermonem vulgarem *omnium captui accommodatum* esse oportere, et tamen *dignum* rebus celsissimis qui eo significantur, *diversum* a cotidiana loquendi consuetudine, quae in viis et foris viget, *talem* denique ut animi sensus tangat et corda Dei Amore inflammet.

Hoc modo extollitur exigentia alicuius linguae Sacrae, quae ad instar biblici sermonis efformari debet.

c) Haec nova lingua sacra, indoli cuiusque populi accommodata, vestem elocutionis «induere intendat mundam, singulisque partibus congruentem, et pulchrum intrinsecus rerum corpus invenire». Hoc facere poterunt homines vere periti in sua lingua in quam vertunt:

quod immo maioris momenti videtur, ac ipsa scientia sermonis latini ex quo vertitur. Nullo modo interpret minutam conscientiam habeat sui operis (quasi « traduttore = traditore »): si illa « venustas et ubertas romani eloquii — ut dicit Sanctus Pater — propter utilitatem pastorem sunt, ex parte, amissae, non *dissimilis nitor* orationis, et sententiarum gravitas, in versionibus textuum liturgicorum spendescant », quia, ut aliquis ex nostris dixit, si stylus est diversus, Spiritus est idem.

Exinde versiones, etsi « sermone humili » (non aulico et artificioso, nec nimis familiaris, sed nobili simplicitate praefulgente) conscriptae, factum literarium constituunt, cum novum quid in unaquaque lingua inducant, omnibus pateant, et fundamentum fiant aliorum operum literariorum. Illa tamen lingua sacra continuae progressioni et revisioni subicienda manet.

d) Praeterea, nova lingua liturgica valorem theologicum et catecheticum prae se fert, fit enim vehiculum fidei servandae et evolvendae, scilicet precationis et *culturae* christianae lingua populi sese exprimentis. Catechesim tamen per ipsam versionem, modo *Targum*, ne fiat, animadvertendum: sed potius per aptam et diuturnam actionem sive in homilia vel monitionibus, sive aliis mediis.

e) Ad prolegomena versionis et catechesis, pertinet tandem aliquando, cognitio indolis, facultatum et necessitatum populi, ope scientiae linguisticae, psychologicae et sociologicae acquirendam, ad versionem vere popularem inducendam.

IV. Denique, attendendum est ad intrinsecam relationem versionis cum ipsa celebratione. Libenter dicerem hic inveniri punctum irradiationis et comprehensionis totius problematis. Categoriae textuum liturgicorum qui transferri debent, non intelleguntur nisi in ipsa ordinatione actionis liturgicae: lectiones nempe textuum biblicorum, orationes celebrantis, acclamationes et cantus populi. Leges versionis, ab intrinseca structura theologica et rituali cuiusque partis pendet. « Neque eadem est, ut patet, lingua qua interpretes reddere debent locos e sacra scriptura, verbum divinum continente, depromptos, orationes, hymnos ». Sic Summus Pontifex; et in hoc, omnes nostri oratores consonarunt.

a) Requirebant enim, pro textu biblico maximam fidelitatem, quae ad colorem usque semiticum pertingat; et hoc non tantum in lectionibus sacris, sed etiam in textibus Ordinarii Missae, directe a Sacra Scriptura depromptis.

b) E contra aliquam aptationem admittebant seu potius exigebant in vertendis textibus ecclesiasticis, ut puta orationes et praefationes, praecise ex eorum natura rituali: sunt utique preces ad Deum, sed a populo facile et immediate intelligendae, utpote eius nomine prolatae, et ad ipsius religiosam institutionem pertinentes. Accommodatio fiet, si oporteat, per aliquas mutationes, additiones, suppressiones, et praesertim transmutationem, bene animadvertendo ne profundum sensum religiosum, aut per nimiam ariditatem (linguis ceterum modernis parum consonantem), at per nimiam ampollositatem, gravitati et robori textus originalis oppositas, amittant. Talis necessitas aptationis maxime apud illos qui in locis missionum adlaborant patet. Ipsorum vero problemata nobis profunde attingunt. Speramus, ut, cum omni diligentia, subsidia et adiumenta, quae exquiruntur, ipsis afferantur.

c) Sed aptationem hanc profundiores, et magnam libertatem exigunt versiones textuum cantui destinatos. Ut per analysim compositionum antiphonarii clare patet, auctor antiphonae libere egit respectu textus Sacrae Scripturae, a quo pendeat, et hoc rationibus musicis: quod concedendum videtur etiam hodiernis antiphonis (sive quoad verba, sive etiam quoad ipsum versum mutandum). Pro hymnis vero, ut cani possint nemo est qui non videat maximam libertatem rythmicam et poeticam, servato originali conceptu, requirendam esse. Ad nos non pertinet, de introductione cantuum popularium et hymnorum in liturgiam disserere: sed solummodo putamus illos textus qui sine musica dici nequeunt, secundum musicas exigentias vertendos esse. Aliquo modo idem dicendum est de omnibus textibus qui elata voce proferuntur, utpote qui, ex natura sua, cum cantillatione adhibendi sint.

Restat ut omnibus qui partem habuerunt in parando conventu nostro, sive membris comitatus organizativi, sive Secretariae « Consilii », sive illis qui expositiones paraverunt, sive denique vobis omnibus gratias agamus, participantibus primo Congressui interpretum liturgicorum, omnia pandentes ut denuo nos invisere Deus permittat.

Gratias simul agamus Deo Patri, quia per Incarnati Verbi mysterium nova mentis nostrae oculis lux eius claritatis infulsit, nova, dico, quia vere per verba, sua lingua resonantia, novam Verbi Dei incarnationem populus christianus magno cum gaudio et fructu cognovit.

Index voluminis I (1965)

I. Acta Pauli Pp. VI

Litterae Encyclicae: De doctrina et cultu SS.mae Eucharistiae	369
Allocutio ad participantes « Conventum de popularibus interpretationibus textuum liturgicorum »	377
Epistolae Secretariae Status Summi Pontificis circa « Notitiae »	193

II. Acta « Consilii »

De unica interpretatione liturgica populari in linguis pluribus in locis usitatis (<i>Litt. Card. Lercaro, 16 oct. 1964</i>)	194
De Popularibus interpretationibus Propriorum Dioecesium et Religiosarum familiarum (2 iunii 1965)	196
Epistola ad Praesides Coetuum Episcoporum (30 iunii 1965)	258
Declaratio de experimentis	146
In nomine Domini	3
Summarium Decretorum quibus deliberationes Coetuum Episcoporum confirmantur:	
Praenotanda	7
Decretum Typicum	9
Summarium Decretorum:	
25 apr. 1964 - 13 apr. 1965	10-96
14 apr. - 13 maii 1965	105-108
14-31 maii 1965	146-148
1-30 iunii 1965	199-203
1 iulii - 31 augusti 1965	265-268
1-30 sept. 1965	321-328
1-30 oct. 1965	382-390
Decreta quibus confirmantur interpretationes populares Praefationum in Missa	149, 203, 268, 239, 391
Summarium Decretorum quibus confirmantur interpretationes populares Propriorum religiosorum:	
1 iulii - 31 augusti 1965	269-272
1-30 sept. 1965	329-330
1-30 oct. 1965	391-392
Decreta quibus facultas datur omittendi Horam Primam	272, 330, 392
Quinta Sessio plenaria « Consilii » (26-30 apr. 1965)	99

Labores Coetuum a studiis:

<i>Coetus I.</i> Principia seu criteria generalia ad Calendarium instaurandum (P. A. Dirks, OP)	150
<i>Coetus III.</i> De psalmis distribuendis (Mons. I. Pascher)	152
<i>Coetus IV.</i> De lectionibus biblicis Breviarii (Can. A. G. Martimort)	206
<i>Coetus V.</i> De lectionibus patristicis in Breviario (Mons. M. Pellegrino)	209
<i>Coetus VI.</i> De Hymnis Breviarii (P. A. Lentini, OSB)	213
<i>Coetus VIII.</i> De cantibus Officii (P. P. Visentin, OSB)	213
<i>Coetus IX.</i> De lectionibus in Missa (P. G. Diekmann, OSB)	333
Conventus de popularibus interpretationibus textuum liturgicorum (9-13 nov. 1965)	203, 273, 393
Missae in quarta periodo Concilii Oecumenici Vaticani II celebrandae	330
In nostra Familia:	
Novi Sodales « Consilii » (Em.mus Conway, Exc.mi Hurley, Clavel Mendez, Enrique y Tarancon, Dwyer, Pellegrino, Kovacs, Lazik, Bluysen, Carter)	194, 381
Laeta (Jenny, Pellegrino, Saraiva, Franceschini, Hänggi, Mejia, Dwyer, Wagner, Martimort, van Doren, Dirks, Falsini, Amore)	149, 276, 337
In pace cum Sanctis (Card. Bevilacqua, P. Delalande)	97, 337

III. Sacra Rituum Congregatio

Patrocinium Sancti Benedicti Abbatis patroni principalis Europae	157
<i>Commentarium et Missa</i>	158-159
Rubricae in Missali Romano emendandae	214
Partes quae in collatione Ordinum lingua vernacula dici possunt	276
Decreta particularia:	
Mediolanensis	159
De offertorio ritus Ambrosiani	219
Ordinis Fratrum Praedicatorum	159
Ordinis Fratrum B.M.V. de Monte Carmelo	160

IV. Sacra Paenitentiaria Apostolica

Declaratio quoad indulgentias adnexas obiectis pietatis quae benedicuntur	279
<i>Commentarium</i>	280

V. Coetus Episcoporum ¹

COETUS EPISCOPORUM PLURIUM NATIONUM:

Incepta pro unica interpretatione textuum liturgicorum:

International Committee on English in the liturgy 308, 339

Regiones gallicae linguae:

LL. off.: <i>Missel romain latin-français</i> , pars I, II	164
» : <i>Missel romain latin-français</i> , pars III	338
» : <i>Lectionnaire français</i>	164

EUROPA

ALBO-RUTHENI EXTRA PATRIAM DEGENTES

Decreta generalia	199, 382
-----------------------------	----------

ANGLIA CAMBRIA

Decreta generalia	10
LL. off.: <i>Missale romanum et anglicum</i>	161
De primis gressibus: (✠ G. P. Dwyer)	223

AUSTRIA

Decreta generalia	11, 382
LL. off.: <i>Missaleeinlagen zum Ringmissale</i>	338
De primis gressibus (✠ E. Macheiner)	109

BELGIUM

Decreta generalia	12
De primis gressibus (✠ G. van Zuylen)	167

CECOSLOVACHIA

Decreta generalia	105, 321
De primis gressibus (✠ A. Lazik)	225

DANIA

Decreta generalia	13
De primis gressibus (✠ Th. Suhr)	226

¹ Abbreviationes:

Decreta generalia = Decreta quibus deliberationes Coetuum Episcoporum confirmantur.

Praef. = Decreta quibus confirmantur interpretationes populares Praefationum in Missa.

LL. off. = Libri liturgici officiales.

De primis gressibus = De primis gressibus instaurationis liturgicae.

SRC = Sacra Rituum Congregatio.

FINNIA

Decreta generalia	14
De primis gressibus (✠ P. M. Verschuren)	227

GALLIA

Decreta generalia	14
De primis gressibus (✠ R. Boudon)	111
Decreta particularia:	
<i>Aquensis</i>	15, 199
<i>Auxitanae</i>	383
<i>Baionensis</i>	15, 106
<i>Cameracensis</i>	321
<i>Corisopitenis, Venetensis, Briocensis</i>	15
<i>Gratianopolitanae</i>	15
<i>Lemovicensis</i>	16, 265
<i>Lugdunensis</i>	321
<i>Meldensis</i>	16
<i>Molinensis</i>	16
<i>Parisiensis</i>	106
<i>Tolosanae</i>	321
<i>Valleguidonensis</i>	321
<i>Versaliensis</i>	321

GERMANIA

Decreta generalia	16, 383
LL. off.: <i>Lateinisch-Deutsches Altar Messbuch</i>	281
De primis gressibus (✠ H. Volk)	282
De sectione studiorum in Instituto liturgico Trevirensi	222
Decreta particularia:	
<i>Herbipolensis</i>	383
<i>Misnensis</i>	17, 322

GIBRALTARIA

Decreta generalia	17
-----------------------------	----

GRAECIA

Decreta generalia	18, 200
De primis gressibus (✠ A. Varthalitis)	284

HELVETIA

Decreta generalia	18
Praefatio	268
De primis gressibus (✠ R. Tschudy)	229

HIBERNIA

Decreta generalia	21
De primis gressibus (✠ G. Card. Conway)	230

HISPANIA

Decreta generalia	22
LL. off.: <i>Leccionario</i>	165
De primis gressibus (✠ I. Hervás)	170
<i>Flaviobrigensis</i>	22
<i>Sancti Sebastiani</i>	22, 106, 146, 265, 322, 383
<i>Tarraconensis</i>	22

HOLLANDIA

Decreta generalia	32, 146
-----------------------------	---------

HUNGARIA

Decreta generalia	322
De primis gressibus (✠ A. Kovács)	232

ISLANDIA

Decreta generalia	23
-----------------------------	----

ITALIA

Decreta generalia	24, 384
LL. off.: <i>Messale romano latino italiano per le domeniche e feste</i>	165
<i>Lezionario</i>	166
<i>Missale Ambrosianum latinum et italicum</i>	166
De primis gressibus (V. Noé)	285
Decreta particularia:	
<i>Asculanae in Piceno</i>	323
<i>Assisiensis</i>	265
<i>Augustanae</i>	25, 323
<i>Clavarensis</i>	200
<i>Cremonensis</i>	107, 200
<i>Lyciensis</i>	384
<i>Mediolanensis</i>	25, 159, 219, 384
<i>Taurinensis</i>	107
<i>Tergestinae</i>	25

JUGOSLAVIA

Decreta generalia	25, 384
De primis gressibus (✠ A. Pichler)	114
Decreta particularia:	
<i>Baciensis</i>	200
<i>Sloveniae</i>	265, 385

LETHONI EXTRA PATRIAM DEAGENTES

Decreta generalia	27
-----------------------------	----

LITUANI EXTRA PATRIAM DEGENTES

Decreta generalia	27
-----------------------------	----

LUSITANIA

Decreta generalia	29
De primis gressibus (✠ <i>A. Lopez de Moura</i>)	172

LUXEMBURGUM

Decreta generalia	28
De primis gressibus (<i>I. Hengen</i>)	288

MELITA

Decreta generalia	29
LL. off.: <i>Appendix Missali romano addenda</i>	166
<i>Triduum Sacrum</i>	167
<i>De ordinibus conferendis</i>	167
De primis gressibus (<i>A. Said Pullicino</i>)	233

MONOECENSIS PRINCIPATUS

Decreta generalia	31
De primis gressibus (✠ <i>I. Rupp</i>)	290

NORVEGIA

Decreta generalia	30
-----------------------------	----

POLONIA

Decreta generalia	385
De primis gressibus (✠ <i>F. Jop</i>)	116
Decreta particularia:	
<i>Katovicensis</i>	386

POLONI EXTRA PATRIAM DEGENTES

Decreta generalia	31
-----------------------------	----

SCOTIA

Decreta generalia	32
De primis gressibus (✠ <i>G. A. Gray</i>)	292

SUECIA

Decreta generalia	33
De primis gressibus (<i>I. H. van Essen</i>)	236

ASIA

BIRMANIA

Decreta generalia	34
De primis gressibus (✠ <i>I. U Win</i> , ✠ <i>G. Tobey</i>)	173, 294
Decreta particularia:	
<i>Myitkyinaënsis</i>	65

BORNEUM SEPTENTRIONALE	
Decreta generalia	35
Decreta particularia:	
<i>Jesseltonensis</i>	323
CAMBOGIA	
Decreta generalia	323
C.E.L.R.A. (COETUS EPISCOPORUM LATINI RITUS REGIONUM LINGUAE ARABICAE)	
Decreta generalia	36
CEYLON	
Decreta generalia	37
Praef.	269
De primis gressibus (✠ <i>Th. Card. Cooray</i>)	237
COREA	
Decreta generalia	38
Praef.	329
De primis gressibus (✠ <i>G. McNaughton</i>)	240
GOANA ET DAMANENSIS ARCHIDIOCESIS	
Decreta generalia	107, 386
HIEROSOLYMITANUS PATRIARCHATUS LATINUS	
Decreta generalia	38, 386
De primis gressibus (✠ <i>A. Gori</i>)	176
IAPONIA	
Decreta generalia	39
De primis gressibus (✠ <i>L. Nagae</i>)	117
INDIA	
Decreta generalia	40, 200, 387
Praef.	149
De primis gressibus (✠ <i>V. Card. Gracias</i> , ✠ <i>I. M. Gopu</i>)	119, 176
Decreta particularia:	
<i>Belgaumensis</i>	201
<i>Bhagalpurensis</i> , <i>Dinajpurensis</i> , <i>Dumkaënsis</i>	43
<i>Calcutensis</i>	387
<i>Dibrugarthensis</i>	266
<i>Hyderabadensis</i>	42
<i>Keralensis</i> (<i>Regionis</i>)	43
<i>Patnensis</i>	387
<i>Verapolitanae</i>	324

INDONESIA

Decreta generalia	43
De primis gressibus (⌘ <i>A. Djajasepoetra</i>)	243

IRAK

Decreta generalia	44
-----------------------------	----

LAOSIA

Decreta generalia	266
-----------------------------	-----

LIBANUM

Decreta generalia	45
De primis gressibus (<i>I. Morès</i>)	178

MALAYSIA (MALACCA-SINGAPORENSIS)

Decreta generalia	46, 147
-----------------------------	---------

PAKISTANIA

Decreta generalia	47, 387
De primis gressibus (⌘ <i>I. Cordeiro</i>)	297

PHILIPPINAE INSULAE

Decreta generalia	49, 324, 387
Praef.	391
De primis gressibus (<i>P. Brunner</i>)	295

TAIWAN, HONGKONG, MACAO

Decreta generalia	50, 324
De primis gressibus (⌘ <i>I. Kuo</i>)	241

THAILANDIA

Decreta generalia	51, 266
De primis gressibus (⌘ <i>C. Bayet</i>)	298

TURCARUM RESPUBLICA

Decreta generalia	51
De primis gressibus (⌘ <i>I. Descuifi</i>)	179

VIETNAM

Decreta generalia	52, 324
De primis gressibus (⌘ <i>P. Nguyễn-van-Binh</i>)	299

AFRICA

AEGYPTUS

Decreta generalia	54
-----------------------------	----

AETHIOPIA

Decreta generalia	54
-----------------------------	----

AFRICA AEQUATORIALIS ET CAMMARAUNIA	
Decreta generalia	55
Decreta particularia:	
<i>Dualensis</i>	56
<i>Sangmelimaensis</i>	56
AFRICA AUSTRALIS OCCIDENTALIS	
Vide <i>Africa Meridionalis</i>	56
AFRICA MERIDIONALIS	
Decreta generalia	56
Praef.	203
AFRICA OCCIDENTALIS	
Decreta generalia	57
AFRICA SEPTENTRIONALIS	
Decreta generalia	58
De primis gressibus (⌘ <i>V. M. Jacquier</i>)	243
ALGERIA	
Vide <i>Africa Septentrionalis</i>	58
ANGOLA	
Decreta generalia	325
De primis gressibus (⌘ <i>A. Ribeiro de Santana</i>)	301
BASUTOLANDIA	
Vide <i>Africa Meridionalis</i>	56
BECIUANIA	
Vide <i>Africa Meridionalis</i>	56
CAMMARAUNIA	
Vide <i>Africa Aequatorialis</i>	55
Decreta particularia	55
CENTROAFRICA	
Vide <i>Africa Aequatorialis</i>	55
Decreta particularia	56
De primis gressibus (⌘ <i>I. Cucherousset</i>)	353
CHENIA	
Decreta generalia	59, 108
Decreta particularia:	
<i>Kisumuensis</i>	108
CIADIA	
Vide <i>Africa Aequatorialis</i>	55
Decreta particularia	388

CONGUS BRAZAPOLITANA

Vide *Africa Aequatorialis* 55

CONGUS LEOPOLDPOLITANA

Decreta generalia 61

De primis gressibus (✠ I. Malula) 121

DAHOMEIA

Vide *Africa Occidentalis* 57

Decreta particularia 267

De primis gressibus (✠ B. Gantin) 302

GABON

Vide *Africa Aequatorialis* 55

Decreta particularia 325, 388

GANA

Decreta generalia 65, 388

De primis gressibus (N. Pronk) 346

GUINEA

Vide *Africa Occidentalis* 57

De primis gressibus (L. Vieira) 349

LITTUS EBURNEUM

Vide *Africa Occidentalis* 57

MADAGASCARIA

Decreta generalia 66, 326

MALAWI

Decreta generalia 67

MALIA

Vide *Africa Occidentalis* 57

De primis gressibus (✠ L. Sangaré) 350

MAROCHIUM

Vide *Africa Septentrionalis* 58

De primis gressibus (✠ F. Aldegunde Dorrego) 180

NIGER

Vide *Africa Occidentalis* 57

NIGERIA

Decreta generalia 68, 267, 388

De primis gressibus (✠ John of the Cross Anyogu) 352

RHODESIA AUSTRALIS

Vide *Africa Meridionalis* 56

RWANDA BURUNDIA	
Decreta generalia	69
De primis gressibus (Æ A. Perraudin)	355
SENEGALIA	
Vide <i>Africa Occidentalis</i>	57
SEYCHELLES INSULAE	
Decreta generalia	70
SUASILANDIA	
Vide <i>Africa Meridionalis</i>	56
TANZANIA	
Decreta generalia	71, 267
Praef.	329
De primis gressibus (P. Lanik)	357
Decreta particularia:	
<i>Daressalamensis</i>	71
<i>Kigomaënsis</i>	327
TOGUM	
Vide <i>Africa Occidentalis</i>	57
TUNESIA	
Vide <i>Africa Septentrionalis</i>	58
VOLTA SUPERIOR	
Vide <i>Africa Occidentalis</i>	57
De primis gressibus (Æ P. Card. Zoungana)	182
ZAMBIA	
Decreta generalia	72, 148, 201, 327
De primis gressibus (A. Blondé, Æ F. Coutemanche)	184, 247

AMERICA

AEQUATORIA	
Decreta generalia	74
AMERICA CENTRALIS (C.E.D.A.C.)	
Decreta generalia	74
ARGENTINA	
Decreta generalia	75, 389
LL. off.: <i>Leccionario dominical y festivo</i>	221
BOLIVIA	
Decreta generalia	76, 201

BRASILIA

Decreta generalia	76
De primis gressibus (✠ C. Isnard)	122

CANADIA

Decreta generalia	77
LL. off.: <i>Rituel des Sacraments</i>	162
<i>Rituel du Mariage</i>	221
<i>Messe chrismale le jeudi de la Cène de Seigneur</i>	221
De primis gressibus (✠ A. Martin)	124
Decreta particularia:	
<i>Sinus de Hudson</i>	389

CARRIBEANA REGIO

Decreta generalia	79
Decreta particularia:	
<i>Kingstonensis</i>	389

C. E. L. A. M.

<i>Instituto latinoamericano de liturgia pastoral</i>	365
---	-----

CHILIA

Decreta generalia	81
-----------------------------	----

CIVITATES FOEDERATAE AMERICAЕ SEPTENTRIONALIS

Decreta generalia	81, 390
LL. off.: <i>Roman Missal</i>	163
<i>Sacrament of Confirmation</i>	281
De primis gressibus (✠ I. Card. Ritter)	126
Decreta particularia:	
<i>Guamensis</i>	82

COLUMBIA

Decreta generalia	82
Praef.	269
De primis gressibus (✠ T. Botero Salazar)	128

COSTARICA

<i>Vide America Centralis</i>	74
---	----

CUBA

Decreta generalia	83
Praef.	269

DOMINICA INSULA

<i>Vide Carribeana Regio</i>	79
--	----

DOMINICANA RESPUBLICA

Decreta generalia	84, 390
-----------------------------	---------

FALKLAND SIVE MALVINAE INSULAE	
Decreta generalia	85
GRENADA	
Vide <i>Carribeana Regio</i>	79
GUATEMALA	
Vide <i>America Centralis</i>	74
Praef.	269
GUIANA BRITANNICA	
Vide <i>Carribeana Regio</i>	79
HAITIA	
Decreta generalia	86
HONDURIA	
Vide <i>America Centralis</i>	74
Decreta particularia	86
De primis gressibus (Æ I. Carranza Chévez)	247
HONDURIA BRITANNICA	
Vide <i>Carribeana Regio</i>	79
JAMAICA	
Vide <i>Carribeana Regio</i>	79
Praef.	149
MEXICUM	
Decreta generalia	87
Praef.	291
NICARAQUA	
Vide <i>America Centralis</i>	74
PANAMA	
Vide <i>America Centralis</i>	74
Praef.	149
De primis gressibus (Æ Th. A. Clavel Méndez)	249
PARAMARIBO	
Vide <i>Carribeana Regio</i>	79
PARAQUARIA	
Decreta generalia	88
Praef.	269
De primis gressibus (Æ F. G. Benitez)	359
PERUVIA	
Decreta generalia	88
Praef.	149

De primis gressibus (⌘ <i>M. R. Cornejo Radavero</i>)	361
Decreta particularia:	
<i>Cuchensis</i>	89
PORTURICUS	
Decreta generalia	89, 328
SALVATORIANA RESPUBLICA	
Vide <i>America Centralis</i>	74
De primis gressibus (⌘ <i>B. Barrera y Beyer</i>)	362
S. LUCIA INSULA	
Vide <i>Carribeana Regio</i>	79
TRINIDAD ET TOBAGO INSULAE	
Vide <i>Carribeana Regio</i>	79
De primis gressibus (⌘ <i>F. Ryan</i>)	129
URUQUARIA	
Decreta generalia	90, 329
VENETIOLA	
Decreta generalia	91
Praef.	149
De primis gressibus (⌘ <i>I. Ali Lebrún</i>)	130
OCEANIA	
AUSTRALIA	
Decreta generalia	92
De primis gressibus (⌘ <i>G. Young</i>)	132
Decreta particularia:	
<i>Bathurstensis</i>	268
COOK INSULAE	
Decreta generalia	93
GUAM	
Vide <i>Civitates Foederatae Americae Septentrionalis</i>	82
NOVA GUINEA	
Decreta generalia	93, 202, 268
Decreta particularia:	
<i>Montis Hagen</i>	94
NOVA ZELANDIA	
Decreta generalia	94, 328
Praef.	203
De primis gressibus (⌘ <i>O. Noel Snedden</i>)	363

SAMOA ET TOKELAU INSULAE	
Decreta generalia	96, 203
Praef.	391
TONGA ET NIUE INSULAE	
Decreta generalia	96, 108

VI. Familiae Religiosae ²

ORDO CANONICORUM REG. S. AUGUSTINI	
Hora Prima	330
ORDO PRAEMONSTRATENSIS	
Hora Prima	330
ORDO SANCTAE CRUCIS	
Hora Prima	272
ABBATIA SANCTI PAULI DE URBE OSB	
Decreta	269
CONGREGATIO AMERICANA CASINENSIS OSB	
Hora Prima	330
CONGREGATIO HELVETO-AMERICANA OSB	
Hora Prima	330
CONGREGATIO OTTILIENSIS OSB	
Hora Prima	392
ORDO CISTERCENSIVM REFORMATIVM	
Hora Prima	392
ORDO FRATRVM PRAEDICATORVM	
Hora Prima	392
Decreta:	
<i>Anglia-Cambria</i>	11
<i>Gallia</i>	16, 146, 270
<i>Hibernia</i>	22
<i>Italia</i>	25
<i>Jugoslavia</i>	27
<i>Polonia</i>	391
<i>Vietnam</i>	201
S. R. C.	159

² Abbreviationes:

Hora Prima = Decreta quibus facultas datur omittendi Horam Primam.

Decreta = Decreta quibus confirmantur interpretationes populares Propriorum religiosorum.

ORDO FRATRUM MINORUM

Hora Prima 272

Decreta:

Italia 106, 391

Jugoslavia 27

Melita 30

ORDO FRATRUM MINORUM CONV.

Decreta:

Italia 25

ORDO FRATRUM MINORUM CAP.

Hora Prima 392

Decreta:

Italia 329

TERTIUS ORDO REGULARIS SANCTI FRANCISCI

Hora Prima 272

ORDO FRATRUM EREMITARUM S. AUGUSTINI

Hora Prima 392

ORDO RECOLLECTORUM S. AUGUSTINI

Hora Prima 330

ORDO FRATRUM B. M. V. DE MONTE CARMELO

Hora Prima 272

Decreta:

Anglia 199

S. R. C. 160

ORDO FRATRUM DISCALCEATORUM B.M.V.
DE MONTE CARMELO

Decreta:

Anglia 329

Gallia-Brabantia 329

Hispania 271

Melita 329

ORDO SS.MAE TRINITATIS

Hora Prima 330

ORDO SERVORUM MARIAE

Hora Prima 330

ORDO HOSPITALARIUS S. IOANNIS A DEO

Decreta:

Italia 25

SOCIETAS IESU	
Decreta:	
<i>Provinciae linguae anglicae</i>	330
CONGREGATIO SS. CRUCIS ET PASSIONIS D.N.I.C.	
Decreta:	
<i>Civitates Foederatae Americae Sept.</i>	271
SOCIETAS S. FRANCISCI SALESII	
Decreta:	
<i>Italia</i>	391
PIA SOCIETAS A S. IOSEPH	
Decreta:	
<i>Italia</i>	25
CONGREGATIO MISSIONIS	
Decreta:	
<i>Italia</i>	25
RELIGIOSAE DOMINICANAE	
Decreta:	
<i>Australia</i>	392
ORDER OF VISITATION IN THE UNITED STATES	
Decreta	392
CONGREGATIO SORORUM DOCENTIUM A S. CRUCE	
Decreta:	
<i>Helvetia</i>	20
CONGREGATIO SORORUM A S. DOROTHEA	
Decreta:	
<i>Italia</i>	330

VII. Documentorum explanatio³

De oratione fidelium	366
<i>Ad Instructionem:</i>	
<i>nn. 15-18 (136, 305); n. 36 (136, 185); n. 37 (305); n. 48 (136); nn. 52-55 (137); n. 56 (250, 306); n. 57 (185); n. 60 (185); n. 74 (137); n. 78 (137); n. 78 (186, 250, 306); nn. 80-84 (186); n. 91 (137, 251); n. 92 (138); n. 95 (138, 251).</i>	
<i>Ad Ordinem Missae:</i>	
<i>nn. 44-46 (187); n. 59 (186); nn. 46-57 (188); n. 60 (188); n. 83 (188).</i>	

³ *n.* indicat numerum documenti citati; numerus inter parentheses paginam fasciculi significat.

Ad ritum servandum in celebratione Missae:

n. 14 (251); *n.* 22 (139); *n.* 23 (139); *n.* 35 (251); *nn.* 41-44 (139);
n. 47 (252); *n.* 49 (252); *n.* 50 (140); *n.* 51 (140, 252); *nn.* 55-56 (140);
n. 58 (140); *n.* 61 (140, 252); *n.* 69 (141); *nn.* 76-77 (141); *n.* 81 (306);
n. 83 (253); *n.* 84 (141, 142, 253); *n.* 87 (142, 253).

Ad ritum concelebrationis:

n. 1 (142, 307); *nn.* 9-10 (253); *n.* 15 (142); *n.* 17 (188); *n.* 31 (142);
n. 39 (143); *n.* 46 (307); *n.* 76 (189); *nn.* 77-78 (189).

Ad ritum communionis sub utraque Specie:

n. 1 (143, 189).

Varia (190, 254, 307-308).

VIII. Studia

<i>Ite, Missa est</i> (Versiones populares approbatae)	191
Il culto delle Reliquie e loro uso nella consacrazione degli altari (Mons. A. P. Frutaz)	309

IX. Nuntia

Congressus Assisiensis: « <i>Azione liturgica e Comunità nell'edifi- cio sacro</i> »	192, 400
Conventus Ravennatensis de arte sacra	192
Congressus de diaconatu	318
Congressus liturgicus Montisserati	318
Hebdomada Friburgensis de cantu sacro	144, 319
« Liturgical Week »	144
« Book of catholic worship »	318

X. Bibliographica

Libri ad Redactionem missi	255, 320
--------------------------------------	----------

Errata Corrige

p. 191, a) *Lingua anglica*, loco: (Anglia-Cambria) legendum est:
(Hibernia).

p. 321, loco: ad diem 13 sept., legendum est: ad diem 30 sept.

Ordo Missae et Ritus servandus in celebratione Missae

Editio typica

In-16°, pp. 72, L. 800 (\$ 1,40)

Recens *Instructio* de sacra Liturgia quasdam induxit variationes rituales in *Missam*, integra atque immutata manente eius generali structura. Revisio proinde sive *Ordinis Missae*, sive *Ritus servandi* omnino necessaria erat, ut omnia in cultu divino secundum ordinem fiant.

Kyriale simplex

Editio typica

In-16°, pp. 48, L. 600 (\$ 1)

Modi simpliciores qui exhibentur ii sunt, qui, sive in Editione Vaticana, sive in aliis fontibus ritus romani, ambrosiani et hispanici reperiuntur.

Partes ita disponuntur, ut, praemissis antiphonis *Asperges* et *Vidi aquam*, quinque schemata simplicia Ordinarii Missae efficiant, quae tamen nullam ex se relationem habent cum gradu festivitatis dierum liturgicorum. Attamen singulae partes numeris progredientibus distinguuntur, quo facilius evadat, si placet, Ordinarium Missae, partibus ex diversis schematibus selectis, componere. Tandem unicus ponitur tonus monitionum in fine Missae *Ite, missa est*, et *Benedicamus Domino*; ultimo denique quattuor praebentur toni pro *Credo*.

Ad modum *Appendicis* duo exhibentur toni ad orationem dominicam ab universo fidelium coetu una cum celebrante decantandam.

Cantus

qui in Missali romano desiderantur iuxta Instructionem ad executionem Constitutionis de sacra Liturgia recte ordinandam et iuxta ritum Concelebrationis.

In-16°, pp. 36, L. 600 (\$ 1)

Melodiae quinque partibus distribuuntur: I. Tonus orationis super oblata; II. Toni Canonis (usualis, ad libitum) ab *Hanc igitur* ad *Supplices* inclusive; III. Toni doxologiae Canonis (simplex, sollemnis); IV. Toni orationis dominicae, quando a pluribus decantatur (usualis, ad libitum); V. Tonus embolismi. Sequitur *Appendix*: I. Toni pro *Hanc igitur* propriis; II. Specimina quaedam tonorum pro « Oratione fidelium »: agitur de octo melodiis, quae textibus etiam lingua vernacula exaratis perbelle aptari possunt.

LIBRERIA EDITRICE VATICANA

Variationes in Ordinem Hebdomadae sanctae inducendae

Editio typica

In-16°, pp. 24, L. 250 (\$ 0,40)

Continet Missam Chrismatis feriae V in Cena Domini recognitam, idest cum novis pericopis, necnon cum textibus et melodiis simplicioribus, depromptis ex edendo Graduali simplici, *ad libitum* adhibendis, loco illarum quae adhuc in usu sunt. Praebet rubricas ad simpliciores formas redactas pro consecratione Oleorum et quosdam textus mutatos in orationibus sollemnibus feriae VI in Passione et Morte Domini.

Ritus servandus in Concelebratione Missae et Ritus Communionis sub utraque specie

Editio typica

In 16°, pp. 104, L. 900 (\$ 1,50)

In libello, affabre excuso, habentur Ritus concelebrationis et Communionis sub utraque specie a « Consilio ad exsequendam Constitutionem de sacra Liturgia » parati, et a Sacra Rituum Congregatione promulgati. Additur Canon Missae ad usum concelebrantium, et melodiae textuum, qui cani permittuntur.

De oratione communi seu fidelium

In-8°, pp. 32, L. 300 (\$ 0,50)

In fasciculo, parato a « Consilio », orationis communis natura, momentum ac structura describuntur. Indicantur criteria ad eam parandam, et praebentur specimina, super quibus Commissiones liturgicae nationales conficere possunt schemata pro sua ditione.